









DISSERTATIO METAPHYSICA

1740, 21

25

IDEALISTA  
DE EXISTENTIA CORPORVM  
EX EORVM  
OMNIMODA EAQVE COMPLETA  
EXISTENDI POSSIBILITATE  
CONVICTVS

QVAM

DEO ADIVVANTE

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM AN-  
GARIAE ET WESTPHALIAE COMITE SAYNAE ET  
WITGENSTEINII RELIQVA

CONSENTIENTE

AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

PRAESIDE

CAROLO GOTTHELF MVLLERO

PHILOSOPH. MAG.


PVBLICE TVERITVR.

IOANNES IACOBVS GOEBEL

BLANCKENBVRGENSIS

THEOL. ET PHILOSOPH. CVLTOR.

DIE IV. MAII MDCCXXXV.



IENAE LITTERIS SCHILLIANIS.









VIRIS  
SCIENTIAE AMPLITVDINE, MERITORVM GLORIA,  
ET VIRTVTVM LAVDE ILLVSTRIBVS

MAGNIFICO  
EXCELLENTISSIMO ATQVE CON-  
SVLTISSIMO

**CHRISTIANO GOTTLIEB  
BVDERO**

I. V. ET PHILOSOPHIAE DOCTORI  
CONSILIARIO SAXONICO AVLICO  
IVRIS PVBLICI ATQVE FEVDALIS GERMANICIET  
HISTORIARVM PROFESSORI ORDINARIO, FACVL-  
TATIS IVRIDICAE ASSESSORI, PHILO-  
SOPHICAE VERO h. t. DECANO  
MAXIME SPECTABILI

GERMANORVM THVANO.





VIRO  
EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERI-  
RIENTISSIMO  
**GEORGIO ERHARDO  
HAMBERGERO**

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE  
DOCTORI  
SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM  
CONSILIARIO AVLICO  
MEDICINAE ATQVE PHYSICES PROFESSORI OR-  
DINARIO. ACADEMIAE IMPERIAL. LEOPOLD.  
NATVRAE CVRIOSORVM SOCIO.  
SAXO-VINARIENSI ET ISENACENSI MEDI-  
CO PROVINCIALI.

NEVTONI REDIVIVO





VIRO  
EXCELLENTISSIMO ATQVE  
AMPLISSIMO

IOANNI PETRO  
REVSCHIO

LOGICES ET METAPHYSICES PROFESSORI  
ORDINARIO.

QVEM

SANCTIORES LITERAE VENERANTVR  
PROMOTOREM STRENVVVM

INCOMPARABILI THEOLOGO.

QVEM

SCIENTIAE SVSPICIVNT  
AMPLIFICATOREM

LEIBNITIO ALTERI.





PATRIBVS ACADEMIAE IENENSIS  
MERITISSIMIS

QVORVM NOMINE ASSVRGIT  
QVORVM FLORE LAETATVR  
ERVDITVS ORBIS.

# PRAECEPTORIBVS

QVOS

OB SOLIDITATEM IN SCIENTIIS, OB HVMA-  
NITATEM IN CONSVETVDINE PLANE SIN-  
GVLAREM, FIDELITATEM IN CONSILIIIS

PIE COLO ET AETERNVM  
VENERABOR

## MAECENATIBVS MEIS SVMMIS

HANC DISSERTATIONEM

IN GRATITVDINIS MEAE  
ET DVRA TVRAE PIETATIS

MONVMENTVM  
DEVOTA MENTE

CONSEURO

P R A E S E S .







§. I.

**E**st species Philosophorum, quos ad Monistas referre solemus, qui nonnisi spiritus realem, corporum vero idealem tantum in mundo concedunt existentiam. Hi ab haeresi sua dicuntur

IDEALISTAE.

SCHOL. I. Si historiae literariae diffusam iactitare vellemus notitiam, maxima Dissertationis pars vberiori consicienda esset huius Sectae expositione. Sed neque eo multorum utamur artificio, ut iam saepius alibi citatos de hoc negotio autores iterum excitemus. Sufficiunt nobis ea, quae EXCELL. 10. PETRVS REVSCHIVS, cui omnem nos debere scientiam publice gratisimo profitemur animo, Praeceptorum atque Fautorem aeternum suspiciendo, pro more eruditissime in Systemate suo Metaphysico plane aureo de hac re edisseruit §. 790. p. 533. Cui addere liceat ILL. WOLFIVM in Psychologia rationali mai. Sect. I. c. I. §. 36. etc. p. 25. seq.

SCHOL. II. Potiora ex his excerptis nuper, Scholae Vinarientis Rector meritisimus, M. IACOB. CARPOVIUS in idealismo ex concessis explosit. s. in Dissert. 1740. Vinar. habita; cuius totum Praefatum et Dissert. §. 18. p. 7-14. huc spectat.

SCHOL. III. Dispersi solent Idealistae in duas potissimum classes, in EGOTISTAS, qui sui tantum spiritus, et in PLURALISTAS, qui et aliorum spirituum finitorum realem concedunt existentiam. Nostra Tractatio cuilibet Idealistarum indicit bellum, ideoque hoc generali Sectae in posterum utemur nomine.



## §. II.

Idealistae itaque realem s. actualem corporum omnium negant existentiam.

## §. III.

Quicquid debet existere illius existentia debet habere possibilitatem. *Quicumque itaque existentiae cuiusdam entis necessitatem vult exponere, ante omnia, huius existentiae prius eumcat possibilitatem necesse est.*

SCHOL. Ut distinctius pateat, qua ratione id debeat fieri, generalia quaedam delibabimus de existendi possibilitate.

## §. IV.

Cuius existentia non ponit contradictionem, illud habet EXISTENDI POSSIBILITATEM.

## §. V.

Existentia entis interdum in se s. in conceptu non ponit contradictionem, quam tamen infert intuitu causae (per Exper.)

## §. VI.

Si existentia entis in se s. in conceptu suo non ponit contradictionem, tunc ens dicitur habere POSSIBILITATEM EXISTENDI INTERNAM. Quodsi vero existentia entis non infert contradictionem intuitu causae s. relata ad causam, ipsi enti competit POSSIBILITAS EXISTENDI EXTERNA.

SCHOL. Conf. EXCELL. REVSCHII System. Metaph. §. 22. etc.

## §. VII.

Causa quae dat existentiam enti est ens singularis; ideoque ipsi competunt determinata praedicata.

## §. VIII.

Quaecunque non repugnant causae, illa non repugnant ipsius praedicatis. E. quaecunque existentia



tia entis non infert contradictionem intuitu causae, illa non infert contradictionem cum praedicatis causae. E. *possibilitas existendi externa negat existentiam entis repugnare praedicatis causae.*

§. IX.

Existentia entis repugnare potest, *vel* aliquibus praedicatis causae et aliquibus non *vel* omnibus, *vel* plane nulli. (per Exper.)

§. X.

Illia entia, quorum existentia modo repugnat aliquibus praedicatis causae aliquibus non, habent, POSSIBILITATEM EXISTENDI EXTERNAM PARTIALEM. Illis vero, quorum existentia conuenit omnibus causae praedicatis, competit POSSIBILITAS EXISTENDI EXTERNA TOTALIS. Illis denique, quorum existentia omnibus causae repugnat praedicatis, POSSIBILITAS EXISTENDI EXTERNA NULLA.

§. XI.

Nullam aliam adhuc excogitare poteris relationem, quam habeat entis existentia, si huius remouere uolueris contradictionem, praeter eas quas §. VI. attulimus. Hinc, *quicquid habet possibilitatem existendi internam et externam, id omni modo potest existere.*

§. XII.

Possibilitas existendi interna et externa entis constituunt entis POSSIBILITATEM EXISTENDI OMNIMODAM.

§. XIII.

Quod habet possibilitatem existendi omnimodam, ita ut externa sit totalis, illius possibilitati existendi nihil amplius deficit (§. 12. 10. 6.): illius vero existentiae possibilitati, ubi externa modo est partialis, adhuc quaedam deficiunt (§§. cit.)

A 3

§. XIV.



## §. XIV.

Hinc illa POSSIBILITAS EXISTENDI OMNIMODA potest dici COMPLETA, quae constituitur possibilitate existendi interna et externa eaque totali. Illa vero INCOMPLETA, quae constituitur interna et externa eaque partiali existendi possibilitate.

## §. XV.

Quicquid tantum aliquo modo potest existere illud non statim omni modo existere potest. Ergo quaecunque habent possibilitatem existendi internam illa non statim gaudent possibilitate existendi externa. *Falsa itaque est consequentia si concluderis a possibilitate rei existendi interna ad possibilitatem eius existendi externam.*

SCHOL. Sic a possibilitate existendi interna plurium mundorum ad eorum existendi possibilitatem externam non v. c.

## §. XVI.

Quicquid in se plane est impossibile, illud a causa quadam non potest produci. Si quid ergo habet possibilitatem existendi externam illud interna gaudeat necesse est. *E. a possibilitate existendi externa rei ad internam V. C.*

## §. XVII.

Quicquid possibilitatem existendi omnimodam habere dicitur, de ea non statim determinatio innuitur quod illa sit completa aut incompleta. Ergo a possibilitate existendi omnimoda ad completam s. incompletam determinatio non V. C. sed sub disiunctione.

COROLL. Ergo ita argumentari licet: quicquid habet existendi possibilitatem omnimodam illud habet possibilitatem existendi omnimodam vel completam vel incompletam.

SCHOL. Hac generali de existendi possibilitate Tractatione praemissa, speciatim de corporum existendi possibilitate nobis agendum est.

## §. XVIII.



§. XVIII.

Quicumque necessitatem existentiae corporum vult exponere, ille prius euincat existentiae huius possibilitatem oportet (§. 3.)

SCHOL. Et hoc est primum et praecipuum, quod omnibus disputationibus contra Idealistas instituendis praemitti debet. Quod et nos iam iam agamus vberius.

§. XIX.

Si corporum existentia non ponit contradictionem, tunc, habent existendi possibilitatem (§. 4.)

§. XX.

Omnis existendi possibilitas est *vel interna vel externa* (§. 5. 6. 11.) Ergo etiam *corporum existendi possibilitas erit vel interna vel externa.*

§. XXI.

Cum possibilitas existendi externa sit *vel partialis vel totalis* (9. 10.) *corporum quoque possibilitas existendi externa erit vel partialis vel totalis.*

§. XXII.

Si euinci poterit de corporibus, ipsis competere possibilitatem existendi et internam et externam tunc habebunt possibilitatem existendi omnimodam: (§. 11. 12.) si externa est totalis, completam; si partialis, incompletam.

SCHOL. Quas existendi possibilitates successiue de corporibus in sequentibus demonstrabimus.

§. XXIII.

Entium simplicium finitorum varia concipi possunt genera. Dispersi queunt in nude perceptiua et in adperceptiua. Haec iterum possunt esse *vel nude adperceptiua vel adperceptiua* et simul distincte cogitanti, quorum iterum pro gradibus distinctitatis variae possunt esse species. Entia simplicia finita nude per-



perceptiua dicuntur ELEMENTA, Adperceptiua, SVBSTANTIAE COGITANTES nude adperceptiua, ANIMAE BRVTORVM; Adperceptiua distincte cogitantia, SPIRITVS.

## §. XXIV.

Ens simplex finitum non est infinitum, ideoque a se non potest existere (per Theol. natur.) Neque vnum ens finitum simplex alterum ens simplex finitum potest producere (§. 180. Metaphyl. EXCELL. REVSCHII.) Ens itaque infinitum, entia simplicia finita, si qua dantur, producere debuit. Quod cum sit vnicum et dicatur Deus (per Theol. natur.) Deus erit causa entium simplicium finitorum.

SCHOL. Supponimus demonstrationem existentiae Dei quam vocant a posteriori, quae adeo vniuersalis est vt Idealitatem quoque conuincat.

## §. XXV.

Si itaque entia simplicia finita debent habere possibilitatem existendi externam, respectu praedicatorum Dei, tanquam causae, non debent inuolucere contradictionem (§. 6. 24.)

## §. XXVI.

Quaecunque entia simplicia finita respectu alius tantum praedicati diuini possunt existere, ea habent possibilitatem existendi externam partialem (§. 10.)

## §. XXVII.

Cum Deus sibi ipsi propter infinitudinem contradicere nequeat (per Theol. natur.) quicquid Deus producit, illud ne vni quidem ipsius perfectioni debet contradicere. Per consequens *quicquid Deus producit illud habere debet possibilitatem existendi omnimodam eamque completam.*

## §. XXVIII.



## §. XXVIII.

Cum anima nostra existat spiritus existit. Ideoque illa entia simplicia finita, quae sunt spiritus, omnimodam habent existendi possibilitatem eamque completam (§. antec.)

## §. XXIX.

Entia simplicia nude perceptiva s. *Elementa* in conceptu suo s. in se non ponunt contradictionem; ideoque *habent possibilitatem existendi internam* (§. 6.)

## §. XXX.

Cum omnipotentia Dei se ad omnia ea, quae possibilitatem existendi habent internam, extendat (Theol. natur.); omnipotentia Dei quoque se extendit ad elementa: ideoque hac ratione *elementa habent possibilitatem existendi externam partialem* (§. 26. 10.)

## §. XXXI.

Quicquid a Deo ad existentiam debet perducī, id debet habere possibilitatem existendi externam totalem (§. 27. 10.) Ergo *Elementa, si producantur a Deo, debent habere possibilitatem existendi externam totalem; h. e. nulli perfectioni diuinæ repugnare.*

## §. XXXII.

Omnipotentiae in se spectatae non repugnat elementorum productio (§. 30.) Quicquid vero Deus producit, id dependet a praecedente quodam voluntatis diuinæ decreto (in puncto rationis ita dicere liceat.) Hoc vero cum dirigat omnisapientia eius (per Theol. natur.), *elementa, si a Deo fuerint producta, decretum aliquod sapientiae diuinæ, quae omnipotentiae moderatur actus, conforme supponunt.*

SCHOL. Iam exponamus, an actus omnipotentiae, quo produxerit elementa, omnisapientiae diuinæ contradicat.

B

## §. XXXIII.



## §. XXXIII.

SAPIENTIA est scientia finium et mediorum.

## §. XXXIV.

Quicumque igitur nexum mediorum inter se et cum finibus, nexum finium particularium inter se et cum fine ultimo perspicit, ille demonstrat fines et media. Ergo, *quicumque demonstrat fines et media, ille edit specimina sapientiae.*

## §. XXXV.

Si limitationes, quas ponit scientia, et finium mediorumque cognitio, negaueris, et oppositum tibi conceperis, tunc adspirabis ad ideam OMNISAPIENTIAE, quae est scientia finium et mediorum in omnitudine s. sapientia infinita.

SCHOL. Confer, quae de Dei omnifapientia eruditissime edidit EXCELL. REVSCHIVS in Sytem. suo saepius iam laudato §. 924. - 932.; qua omnifapientiae euolutione accuratior vix suppeditari poterit.

## §. XXXVI.

Si elementa existunt, existunt in mundo, quippe qui est complexus entium finitorum (per Cosmol.) Cumque finis mundi, quem obtinendi causa Deus mundum creauit, sit *illustratio gloriae diuinae* seu perfectionum manifestatio h. e. cultus Dei (per Theol. natur.) : hic quoque finis *obtineri debet per productionem elementorum.*

## XXXVII.

Causa finis dicitur MEDIVM. Ergo *mundus* est medium huius finis a Deo optime subordinatum. Ideoque esse debet optimus, quippe *debet esse medium optimum*, ideoque *perfectissimus.*

## §. XXVIII.



## §. XXXVIII.

Id dicitur PERFECTVM, cuius varia consentiunt. Quo plura ergo varia existunt in ente, quae consentiunt, eo maior ei inest consensus, eo maior perfectio. *Quo plura ergo in mundo varia existunt consentientia, eo maior mundi est perfectio, eo perfectius sit mundus medium finis a Deo intenti.*

## §. XXXIX.

Si praeter spiritus entia simplicia alia nude perceptiua et nude adperceptiua in mundo existunt, tunc plura varia in mundo existunt. Quae cum ita sint constituta, ut vnus existentia alterius existentiam non tollat, etiam consensum efficiunt maiorem, idoque mundum in se reddunt perfectiorem.

## §. XL.

Mundus itaque perfectissimus erit is, in quo maximus datur variorum consensus. *E. mundus perfectissimus debet esse maximus (§. 37. 38. 39.) Ergo ad mundum perfectissimum quoque pertinent entia simplicia nude perceptiua s. elementa,*

## §. XLI.

Ex idea sapientiae fluit (§. 32. 33. 34.) eam non esse diiudicandam ex solis mediis, non ex solis finibus, sed ex mediis et finibus inter se connexis. Ergo, licet ex idea perfectissimi mundi, tanquam medii, ad mundum perfectissimum in se spectatum requirantur elementa, non statim ex idea finis, si medium illud cum hoc contuleris, idem est euictum.

SCHOL. Iam euoluamus, an medium ita constitutum necessario requiratur ad finem, quem per mundum Deus intendit, relationem inter medium et finem instituentes.

B 2

§. XLII.



## §. XLII.

Varia in mundo sunt consideranda tanquam media in finem mundi conspirantia (§. 36. 37.) *Existencia itaque elementorum, quam Idealista modo concedit idealem, ad illa varia, ideoque ad media ad finem mundi obtinendum necessaria pertinere necesse est.*

## §. XLIII.

Existencia ergo elementorum est medium ad finem mundi tendens. Cumque hanc idealem modo constituat Idealista, *datur hac ratione medium quoddam imaginarium sive ideale fini reali huius mundi subordinatum.*

## §. XLIV.

Medium ad finem actu obtinendum necessarium, cui deest existencia realis, caret maxima sua realitate s. perfectione (per exper.) Medium vero, cui deest maxima sua realitas est maxime imperfectum. *Si itaque existencia elementorum est medium ad mundi finem tendens, illa vero modo est idealis, hoc foret medium maxime imperfectum.*

## §. XLV.

Omnisapientiae diuinae conuenit vt eiusmodi medium subordinet fini suo, cui maxima non deest realitas. Iam vero, cum illud medium sit maxime imperfectum, cui deest realis existencia, tale s. *ideale medium non decet Dei omnisapientiam.*

## §. XLVI.

Cum ideale medium non deceat Dei omnisapientiam, elementorum existencia, quae est idealis, aut esse nequit medium a Deo fini suo subordinatum, aut si est, quod non est negandum (§. 42. 43.), erit medium non adeo sapienter excogitatum. Quod posterius cum sit absurdum: *Existencia elementorum ideo*  
non



*non potest esse idealis. Cui cum contradictorie opponatur existentia realis l. actualis : actualis elementorum existentia per omnifipientiam diuinam est necessaria.*

## §. XLVII.

Cuiuscunque existentia realis per omnifipientiam Dei est necessaria, illa nulli alii perfectioni diuinæ contradicere potest (per Theol. natur.) Ergo, cum euicerimus, existentiam elementorum actualem per omnifipientiam Dei esse necessariam (§. antec.), euicimus, eorum existentiam non contradicere ulli in Deo perfectioni. Ergo *elementa habent possibilitatem existendi externam eamque totalem.*

## §. XLVIII.

Elementa habent possibilitatem existendi internam (§. 29.) externam eamque totalem (§. 30-47.) Ergo *elementa habent possibilitatem existendi omnimodam (§. 12.) eamque completam (§. 14.)*

## §. XLIX.

Si quid non existit, id debet habere rationem sufficientem, cur non existat. Illa erit *vel* negatio possibilitatis internæ *vel* externæ, eiusque *vel* partialis *vel* totalis, *vel* vtriusque. Quicquid itaque omnimodam habet existendi possibilitatem eamque completam, illud, si non existit, est non existens sine ratione sufficiente, et infert respectu Dei decretum Dei de non largienda existentia sine ratione sufficiente. Quod cum sit absurdum : *quicquid habet existendi possibilitatem omnimodam eamque completam, hoc actu debet existere.*

## §. L.

Elementa habent possibilitatem existendi omnimodam eamque completam (§. 48.) Ergo *elementa actu debent existere.*



## §. LI.

Elementa dicuntur partes ultimatae corporum (per Cosmol.) Ergo *partes ultimatae corporum actu existunt.*

SCHOL. Elementa partes corporum ultimatas esse non negat Idealista, licet ideales modo eas vocet.

## §. LII.

Si aggregatio partium ultimatarum corporis facta fuerit, tunc harum oritur actuale aggregatum; quod cum constituat corpus actuale, *ex aggregatione elementorum actuali oritur corpus actuale.*

## §. LIII.

Haec aggregatio elementorum actualium si habuerit possibilitatem existendi omnimodam eamque completam; tunc eius existentia actualis facillime poterit demonstrari.

SCHOL. Ostendendum nobis nunc est, an eiusmodi aggregatio actu obtinere possit.

## §. LIV.

Quaecunque sunt plura extra se posita illa posita actu aggregari. Cum itaque extra se positio elementorum actualium negari nequeat (per Cosmolog.) aggregatio elementorum per eorum naturam non inuoluit contradictionem. Ergo *elementorum actualium aggregatio habet possibilitatem existendi internam.*

## §. LV.

Posita elementorum actualium aggregatione ponitur elementorum actualium aggregatum. Ergo, cum illa habeat possibilitatem existendi internam, *aggregatum actualium elementorum quoque existendi possibilitatem internam habeat oportet.*

## §. LVI.



§. LVI.

Quodsi aggregatio elementorum actualium habet possibilitatem existendi internam, hanc quoque omnipotentia Dei suscipere potest aggregationem (§. 30.) Ergo huic Dei, tanquam causae, praedicato ipsius existentia non repugnat. Ergo *aggregatio elementorum actualium habet possibilitatem existendi externam eamque partialem.*

§. LVII.

Aggregatum itaque elementorum actualium non repugnat Dei omnipotentiae (§. 55. 56.) Ergo *aggregatum elementorum actualium habet possibilitatem existendi externam eamque partialem.*

§. LVIII.

Aggregatum elementorum, secundum Idealistas, idealiter siue imaginario tantum existit. *Idealis itaque aggregati elementorum existentia est varium mundi, per consequens medium fini mundi reali subordinatum (§. 42.)*

§. LIX.

Medium ideale est indignum Dei omnisapientia (§. 45.) Aggregati itaque elementorum idealis existentia, si est medium fini mundi subordinatum, est medium ideale. Atqui prius est euictum (§. 58.) Ergo *aggregati elementorum idealis existentia est medium ideale et consequenter medium non conueniens cum omnisapientia diuina.*

§. LX.

Si remoueris illud ab aggregati elementorum existentia, quod illam indignum omnisapientia efficit medium, tunc non amplius repugnabit illius existentia tanquam medii, diuinae omnisapientiae: Ergo, *si negaueris idealitatem existentiae, et realitatem s. actualitatis.*



*litatem ipsi substitueris, tunc eris medium omniscientia dignum.*

## §. LXI.

*Existencia aggregati elementorum est medium fini mundi a Deo subordinatum. Cum illa idealis esse nequeat propter omniscientiam Dei, actualis esse debet.*

SCHOL. Hoc etiam adhuc alia demonstrabimus ratione.

## §. LXII.

*Elementa actu existunt (§. 50.) Ergo leges mutationum, tendentiarum, conformativae etc. quas Cosmologia de elementis exponit, non erunt ideales sed actu existentes.*

## §. LXIII.

*Hae leges, cum sint contingentes (per Cosmol.) et a Deo vniice dependeant, quia actu existunt debent esse omniscientissime excogitatae. Hinc leges elementorum conformativae sunt absolute sapientissimae.*

## §. LXIV.

*Elementa actu existentia sibi actu possunt fieri praesentia; et, cum omnia in mundo sint in nexu, actu sibi fiunt praesentia.*

## §. LXV.

*Si elementa actu sibi fiunt praesentia, aut non nisi eadem sibi fiunt actu praesentia aut diuersa. Prius assumitur sine ratione sufficiente; nam hac ratione omnis elementorum varietas esset impossibilis. Ergo posterius assumere licet, quod etiam concedit, licet idealiter, Idealista.*

## §. LXVI.

*Si itaque diuersa specie elementa actu sibi fiunt praesentia i. e. fortiora et debiliora, tunc per leges con-*



conformatiuae per se sequitur horum elementorum aggregatio.

SCHOL. Possibilitas varietatis elementorum ex possibilitate varietatis virium agnosci potest, quippe quae gradibus differre possunt. Cumque elementa sint vires, erunt possibilis elementa maiori vi praedita i. e. fortiora, minori i. e. debiliora. Videatur de his Cosmologia EXCELL. REVSCHII in System. eius Metaphys. §. 567. vbi ex principio identitatis indiscernibil. varietatem illam euincit; praecipue c. IV. §. 585-589. p. 385. etc. vbi leges adhaesionis et hinc sequentis cohaesionis ab ILL. HAMBERGERO, Praeceptore nostro atque Fautore aeterna pietate atque reuerentia digno, de corporibus eruditissime inuentas singulari sagacitate ad elementa quoque adplicuit.

§. LXVII.

Haec elementorum aggregatio cum fiat per leges conformatiuae a Deo sapientissime, excogitatae (§. 63.) annuente omnisapientia Dei haec aggregatio elementorum fieri debet.

§. LXVIII.

Cum ex hac aggregatione elementorum, quae consentiente Dei omnisapientia fit, oriatur aggregatum elementorum actuale, *existentia aggregati elementorum actualis non repugnat Dei omnisapientiae.*

§. LXIX.

Actualis ergo aggregati elementorum existentia omnisapientiae diuinae non contradicit. Ergo etiam nulli alii diuinae perfectioni (§. 47.), quod etiam de omnipotentia iam est demonstratum. (§. 55. 56.) Ergo aggregatum elementorum habet possibilitatem existendi eternam eamque totalem.

§. LXX.

Aggregatum elementorum est aggregatum vltimata-

C



matarum corporis partium (§. 51.) h. e. corpus (§. 52.). Quicquid itaque de aggregato elementorum est demonstratum id quoque est demonstratum de corpore. Ergo corpus habet possibilitatem existendi internam (§. 54. 55.) externam eamque totalem (§. 56-69.) *Ergo corpus habet existendi possibilitatem omnimodam eamque completam.*

## §. LXXI.

Quicquid habet existendi possibilitatem omnimodam eamque completam illud actu debet existere (§. 49.) *Ergo corpus actu debet existere.*

## §. LXXII.

Si corpus actu debet existere, ipsi non idealis tantum tribuenda est existentia. Idealista itaque aut sua assumit sine ratione sufficiente, aut omnino corporis realem siue actualem concedere debet existentiam. Eodem vero modo, quo unius corporis realem admittit existentiam, reliquorum etiam admittere debet existentiam realem.

Addere iam iam liceat in Scholiis nonnullis dubium quoddam generale Idealistarum, et quod forte contra nostram argumentandi formam possit rationem.

SCHOL. I. Haec sane praecipua Idealistarum est oppositio, qua existentiam corporum realem destruere conantur. Sufficillè inquirunt ad manifestandam gloriam diuinam spirituum realem existentiam, cum idealis corporum existentia easdem in spiritibus excitet meditationes de perfectionibus diuinis, quas excitare posset realis ipsorum existentia. Hoc supposito, prouocant ad Dei omnipotentiam, quae, quod fieri potest per pauca, per plura obtinendum haud curat: et inutilem hac ratione realem corporum existentiam fuisse concludunt. Obuiam eunt nonnulli huic dubio sequenti ratione. Concedere illis debet Idealista, DEVM, si per plura media plures finis realitates consequi potest quam per pauciora, tunc omni-



omnino plura media paucioribus praeferre debere. Iam autem, per corpora omnino plures finis obtinere realitates scilicet motum, cum per spiritus modo cogitationes locum inueniant. Sed non adeo fringens nobis videtur illa responsio, quippe cum mutatio loci spiritibus etiam non est deneganda, ideoque et motus per solos spiritus obtineri potest. Alio itaque modo nos pugnandum duximus contra hanc Idealistarum objectionem, ostendentes, minus sufficere idealem corporum existentiam tanquam medium ideale fini huius mundi a Deo sapientissime constituto, sed eam esse debere realem.


SCHOL. II. Nostrae vero argumentationi forte hoc opponere possit Idealista: ideale nimirum medium, si fini sufficiat, non esse indignum diuina sapientia. At negamus, unquam ideale medium, quod pro ideali habetur, fini sufficere praesertim fini diuino. Ostendimus iam, eiusmodi medium Deo plane esse indignum: facile etiam declarari poterit eius insufficientia. Quod nude est ideale s. imaginarium in anima, illi non habemus fidem, s. de eo cognitio nostra est maxime mutabilis in se fallax et incerta (per Exper.). Si medium datur, quo adducamur ad cultum diuinum, nude ideale s. imaginarium, illius cognitio etiam erit maxime mutabilis, in se fallax, et incerta. Ergo etiam ipse cultus exinde oriundus incertus, dubius et inconstans, quippe qui nititur medio nude ideali et imaginario. Hoc si applicueris ad nostrum negotium, assumes corpora modo existere idealiter, mediantibus vero his praestari Deo cultum, totus fere cultus Dei mediatu erit incertus, inconstans et dubius, quippe in ideali rationem sui inueniens. Cum tamen omnino etiam cultus mediatu a Deo intendatur, quod etiam Idealista concedere debet, indignum foret Deo, si esset incertus et inconstans. Adde quod, si assumes, haud indecens Deo esse medium ideale, facile omnem realem eorum, quae reuelata sunt e. g. satisfactionis negare posses existentiam.

SCHOL. III. Iam mens erat alias Philosophorum contra Idealistas formatas adicere et examinare argumentationes; sed de vna modo quaedam monebimus. Multi ex concessis tantum Idealistam refutari posse putarunt; quod etiam nos ex parte non negamus, cum in disputationibus cum Idealista institutis, quaedam tamen concedere debet Idealista, si ulterius progredi velimus in demonstrando. Id modo hic



notandum venit ne idealem Idealistam concipiamus nobis antagonistam nostrum, et concessa ipsi affingamus, quae nunquam concessurus est. Et cum non eadem omnia quilibet Idealista concedit, hic modo hypothetice esse disputandum patet, nisi sit demonstratum, concessum hoc vel illud esse generale s. vniuersale et commune. Cuius exemplum iam nos adhuc adiiciamus. Si Idealista concedit, se sibi repraesentare corpora tanquam ea, quae sunt extra se, tunc ex hoc concessio ita possum argumentari. Quicquid vere est imaginarium s. quod ego ipse pro vere imaginario s. ideali agnosco, illud mihi repraesentatio non nisi tanquam id, quod est intra me (quam tamen propositionem non licet conuertere simpliciter.) Atqui, corpus est vere imaginarium (per Idealistae hypothesin.) E. Corpus non nisi tanquam id, quod est intra me, mihi repraesentatio. Quae conclusio cum sit ipsi contraria, sequitur, cum forma sit legitima, vnam ex praemissis esse falsam. Maior falsa esse nequit, quippe est experientia; minor itaque falsa sit oportet, quae est Idealistae hypothesin. Ergo ipsi opposita propositio erit vera. Ergo Corpus non est nude imaginarium s. non est nude ideale.

## T A N T V M.





COROLLARIA.

**P**hilosophia furnitur vel formaliter vel materialiter. Absolum proinde non est, Theologiam appellare philosophiam de rebus sacris.

Scientia spiritus finiti doctam ignorantiam producit. Quo perfectior ergo est eius scientia, eo maiorem haec ignorantia gradum obtinet. Hinc in beatis ad gradum summum euehitur,

Principium rationis sufficientis absolutum Dei decretum fundamentaliter euerit.

Hypothesis de spiritibus finitis, substantiis non mere spiritualibus, ad confutandum Beckerianismum apta nata est.

Impossibile est idem simul esse & non esse. E. Deus existit, & omnia, quae vere insunt, insunt.

Idea huius vniuersi in Deo est ipse Deus. Quemadmodum vero inter mundum idealem & realem infinita est distantia, ita, qui ideo praesens vniuersum ex essentia diuina emanasse, Deumque per omnes illius particulas spargi opinantur, helleboro indigent.

Amor vniuersi in Deo iustitiam ipsius vindicatiuam fundat.

Deus ergo cum sit ipse amor, essentialiter iustus est.

Existentia diuina methodo mathematica doceri non solum potest, sed etiam debet. Atheismus vero nec potest scientificè proponi.

Neque hinc Spinoza *ethicam* geometrico more contexit.

D

ORNA-





ORNATISSIMO  
DOMINO RESPONDENTI  
FAVORI SVO AMICISSIMO  
S. P. D.  
PRAESES.

Quam paucis, antequam prelo committebatur, diebus mecum communicasti dissertationem Tuam de differentia spirituum finitorum ex illorum actionibus eruta, praesidium in defensione illius publica ambiturus meum, eam, statim atque abs me perlecta fuit, nullis locupletatam accessionibus, nullae sui parte immutatam desiderio simul annuens Tuo Tibi reddidi *omne suavisime*. Solam igitur, quae Praesidem literarii consilii manet, gloriam, nec amplius quid, ex lucubrationibus Tuis dum mihi vendico, non est, cur me Autorem dissertationis, quae vere ad Te pertinet, siue ex toto, siue ex parte, eaque vel maxima vel minima siue commendent, siue vituperent, quos rerum philosophicarum, imprimis recentissimarum, inque hodiernum vsque diem disceptari solitarum nimia vel inuasit cupiditas, vel satietas cepit. Tu vero inacte virtute Tua, *Vir Praestantissime*, &c, quicquid laudis ex hoc eruditionis Tuae, nouo specimine in Te redundat, dignum assiduitate Tua, profectibusque studiorum Tuorum in Theologia aequae ac Philologia & Philosophia mirum in modum egregiis in Te redundare persuasissimus esto! Mea quidem, ingenii Tui dores silentio potius inuolucere, quam multis encomiorum parasangis ornare, ne praesumptum partis studium testem inhabilem arguat, Tui causa referere satis arbitror. Hinc pro perpetua salute Tua, rerumque Tuarum prospero successu in voto pio iam desinens iterum iterumque Te valere iubeo, inique ut fido & incorrupto affectu prosequaris, validissimis abs Te contendo precibus. Scrib. d. III April. A. R. S.

M DCC XL.

AMRO

26 \* \* \* 50



Jena, Diss; 7740



f  
sb.


1018











Farbkarte #13

B.I.G.

METAPHYSICA

1740,21

25

ISTA  
A CORPORVM

RVM  
VE COMPLETA  
SSIBILITATE  
CTVS

M  
VANTE  
FICIENTISSIMO  
CIPE AC DOMINO  
I N O

HENRICO

CLIVIAE MONTIVM AN-  
E COMITE SAYNAE ET  
II RELIQVA

IENTE  
OPHORVM ORDINE  
S I D E

ELF MVLLERO

H. MAG.  
VEBITVR  
BVS GOEBEL

VRGENSIS  
SOPH. CVLTOR.

OD CCXXXX.

SCHILLIANIS.

